domesticatus, in nostro autem conspectu luserunt cum leone, ita tamen, quod semper uno luctante cum eo, alter adstabat cum fuste et quando leo incipiebat severius agere percutiebat cum fuste et nisi ille sic adstitisset, leo colluctantem in joco discerpsisset, nimia enim fortitudine pollet et jocando strangulat. Ideo Samson dixit: quid fortius leone? Judic. XIV. Horribilis fuit mihi aspectus illius ludi, quia in momento instabat hominis exstinctio; non recipissem Cahirum, quod ad bestiam accessissem, (85 a) silere volo de colluctatione et congressione. Si autem congressio leonis domesticati est ita periculosa, quid est de leone fero? Samson aggressus leonem silvestrem ipsum dilaceravit, quod tamen facere non ausus fuisset, nisi spiritus sanctus prius in eum irruisset, ut habetur Judic. XIV. Sic David cum leonibus lusit, quasi cum agnis, Sirac. 47., adjutus tamen et protectus a Domino, ut habetur I. Reg. 17. Sic Benajas, vir fortissimus magnorum operum, percussit duos leones Moab, et unum in cisterna 2. Reg. 23. Sic Daniel inter leones mansit vivus, Dan. 14. Et Lysimachus philosophus ab Alexandro M. leoni objectus manu se defendit a bestia. Et sanctus Ignatius leonibus a Domitiano traditus ipse bestias provocabat, quae eum quidem suffocaverunt, sed carnes ejus nullotenus laeserunt. Et Gottfridus, primus rex Latinorum in Jerusalem, leonem strangulavit. Et inter strenuissima opera Herculis gigantis commendatur interfectio leonis. Erat enim in quadam regione leo, omnibus terribilis, quem aggressus Hercules ipsum interfecit, et eo excoriato pelle ejus (pro) pallio usus est semper, et omnibus ut leo in hac veste formidabilis fuit. In amorem vero cujusdam foeminae Jolae dictae incidit, quae ei suasit, quod pellem leonis deposuit, purpuram et annulos induit, sertis se ornavit et unguentis inungi se permisit, et ita effoeminatus est factus, quod inter pedissequas amatae suae sedit et muliebria fecit opera et omne robur amisit, qui tamen inaudita gesserat ante. Egressis igitur illis cum leone advenit quidam, ducens secum cum catena ursum, et super ursum sedit una simia canina, quam nos nominamus Coppin in vulgari. Haec simia cum fistula fistulabat et ursum ad saltandum et chorizandum stimulabat et postea de urso saltabat et cum eo per curiam chorizabat, fistulante magistro, et plures alias fatuitates faciebat, quibus risus excitabatur, ac si ex ratione ageret. In fine, joco terminato, circuivit bestia erecta,

042
040
046
036
051
031
091
141
541
Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;